





1350. 38 789  
DISPUTATIO JURIDICA  
De 1696 A 4 48  
**PRIVATIS DELIGTIS IN SPECIE,  
EORUMQUE ACTIONIBUS, ET POENIS.**

Quam

SUB FELICI

ALMÆ TRIADOS AUSPICIO

Magnifici atq; Nobilissimi J<sup>C</sup>torum Collegii in celeberrimâ ad  
Albim Academiâ consensu accedente

PRÆSIDE

Clarissimo atq; Consultissimo Viro

Dn. GOTTFRIDO Reutern J.U.D.

Professore publico & Dicasterii Curiæq; Provin-  
cialis ibidem Adiessore, Facultatis Juridicæ pro  
tempore Decano, Præceptore & Promotore


suo Venerando

Publico submittit examini

PETRUS GOLDBECCIUS

Brandenburg. March.

In Auditorio J<sup>C</sup>torum ad d. 2 Septembris, hora à 7. matut.



WITTEBERGÆ,

Excudebat AUGUSTUS BORECK, Anno 1626.



Domini nostri Iesu CHRISTI Auxilio

Suppliciter implorato.

## Prooemium.

**A**blutis Privatorum delictorum generalioribus, justo ordine, (qui est modus agendi, sine quo nihil recte agitur, aut ea quæ ordinatè traduntur, non solum perspicua & facilia redduntur, quo dilucidius intelligantur ut dicitur in l. 4. ff. de Doli except. sed etiam facilius memoriae, quæ alias labilis est, l. 44. ff. d. acquir. possess. inhærent.) Specialem illorum aggreditur tractationem, de Privatis delictis, factis nimis hominum, societatem humanam Izdentibus ac propterea legibus atque jure improbitatis, pœnisque statutis, ut vel delinquentes puniantur vel aliis exemplis pœnarum à delinquendo absterreantur. *Vult. ad pr. Instit. de Obiligat. quæ ex del. nasc. eorumque pœnis paucis aliquid dicturi.* Cum verò instituti nostri ratio non permittat, horum delictorum species & requisita omnia accuratè examinare, hâc disputatio ne quatuor Privatorum delictorum species conjunctim per tractare animus est, inter quas primo se offert loco Furtum, cui coercendo nullæ hodiè cruces, nulla tormenta sufficiunt, cum tanta sit in plerisque aliena habendi rapiendi que cupido Westembec. π. ff. de Furt. n. 1. unde & majus gravissimumque peccatorum, demto adulterio, existimavit D. Chrysostomus; & Jctus Ulpianus usque adeò grave scelus dicit, ut is, qui aliena ea mente contrectavit, ut lucri facheret, fur semper remaneat tametsi mutato consilio id Domino postea reddiderit, neminemque tali peccato pœnitentiâ sua nocentem esse desinere l. 65. ff. de Furt. Ad expiandum igitur peccatum pœna opus est, sine qua futes usque

usque adeo excrescerent numero, ut nemo sit, qui sibi quid-  
piam asserere audeat Petr. Gregor. Tholos. syntagm. iuriuniv. lib. 37.  
c. 1. n. 5. Justinianus furtum contra rationem naturalem existi-  
mat §. furtum Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. Et Paulus lege natura-  
li furtum admittere prohibitum dicit l. 1. §. fin. ff. de Furt. Huic  
naturam & qualitatem in subsequentibus pluribus auspicabi-  
mur, methodum quā antea usi fuimus observaturi.

THESSIS I.

**E**re omnino est, prius quam ad rerum interpretationem per-  
veniamus paucade Furti Etymologia referre. Furtum vel à  
furvo i. e. nigro dictum est, quod clam & obscure fiat, & ple-  
rumque nocte, vel à fraude, probabilius derivatio à Græco ver-  
bo dependet, quo fures Φωρεις appellantur, τῷ φέρειν quod  
ferre sive portare significat, quia conferendo res furtiva ferrur  
l. 1. pr. ff. de Furt. & hanc approbat Wensem. π. ff. de Furt. n. 2. pro-  
pterea quod fures furando, res dominis suis aut possessoribus au-  
ferant, nec aliter furtum fieri potest, quam auferendo & contre-  
stanto, l. 1. §. 1. ff. h. t. §. 2. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc.

II.

Est autem Furtum contrectatio rei fraudalosa lucrificiendi  
gratia, vel ipsius rei vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege  
naturali & divinâ prohibitum est admittere l. 1. §. 3. ff. de Furt. §. 1.  
Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. 59. ff. eod. l. 42. ff. de V.S. lege naturali,  
id est, lege in humanâ naturâ & ratione positâ quæ docet abisti-  
endum esse alienis Wensem. π. ff. h. t. n. 7. lege divina Genes. 3.  
v. 20. Exod. 20. v. 15. c. 21. v. 16. c. 22. v. 21. & aliis in locis plurimis.  
Hæc est vera & absoluta furti definitio. Theologi furtum esse  
rei alienæ occultam acceptionem, Canonistæ omnem rei alienæ  
illicitam usurpationem furtum appellant. Et quamvis quidam  
Populi veluti Lacedæmonii & Ægyptii fures non solum non pu-  
niverint, sed præmiis etiam affecerint, non tamen asserendum  
furtum Lege naturali non esse prohibitum, ut quidam conclu-  
dunt, non enim unius aut alterius gentis corruptos mores pro  
lege naturæ haberi oportet.

Furto-

Furtorum divisio licet apud DD. varia inveniatur, summa tamen divisio bipartita tantum est; in Furtum manifestum & nec manifestum §. 3. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. 2. 3. 4. ff. de Furt. utrumque hoc furtum variè ex adjunctis & subjectis distinguitur, in oblatum & conceptum, quæ potius species sunt actionis furto coherentes, & hodie in desuetudinem abierunt §. 3. & 4. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. item diurnum & nocturnum l. 4. § 1. ff ad L. Aquil. domesticum & non domesticum l. 11. §. 1. de Pœn. aliud famosum l. 73. S. 1. ff. de Furt. quæ, quomodo definitur, ex variis iuris textibus videre licet.

## IV.

Manifestum furtum est, quando fur deprehenditur in ipso furto, vel cum re furata antequam quo destinarat detulerit etiamsi visus, postea furtum abjecerit l. 23. §. 56. ff. de Furt. Petr. Gregor. Syntagm. jur. civ. lib. 37. c. 1. n. 13. Nec manifestum furtum quid sit inde appareat, nam quod manifestum non est, hoc scilicet nec manifestum est l. 8. ff. de Furt. ac licet quidam sint, qui hanc divisionem inutilem hodie esse affirment, cum alia atq; alia pœna furto ob ejus accidens proposita sit, verum quia nullibi inveniatur sublata, sed potius aperte in Constitutione Carolina approbata ad pœnam leniendam vel exasperandam ut videre licet ex articul. 157. & 158. ubi appellatur öffentlicher und heimlicher Diebstal: etiam hodie illam sua non carere utilitate verius est. Hinc fur manifestus est quem Græci ἐπ' αὐτῷ Φῶρος appellant hoc est, eum qui deprehenditur cum furto l. 3. ff. de Furt. §. 3. Inst. de Obligat. quæ ex del. nasc. nec manifestus ē contrario.

## V.

Occasione hujus Divisionis, non incommodè ista se offert quæstio, An rem furtivam in alterius ædibus perquirere liceat? quod non facile concedendum appareat ex l. 12. verso quid enim C. quanto & quibus quartapars &c. Cum admodum periculosum sit rei familiaris utilitatem detegere, secretaque domus invito patrifamilias perscrutari, quo ipso aut nostras divitias invidiae aut periculis subjicere possumus: Deinde ædes nostræ tutum & li-

berum nobis debent præstare domicilium, nec omnium servire  
curiositati l. 18. ff. de injus voc. quod omnino hoc respectu fieret.  
Verum hodiè requisitores reçū furtivarum sunt moribus nostris  
autoritate Magistratus interveniente, & non levibus præcedenti-  
bus indiciis in ædibus alienis, ubi res furtiva forte receptatur &  
merito, §. 4. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. 13. in pr. ff. de Offic. Pres. l. 3.  
ff. de Serv. fugit. quod procedit, nisi publica veretur utilitas: tunc  
enim in alieno perquirendi facultas etiam nullis extantibus in-  
dicis ab Imperibus concessa est l. quosdam C. de Metall. l. omnes in  
fin. C. de Aquæ ductu Borchold ad §. 4. Institut. de Obligat. quæ ex  
del. nasc.

### V I.

Ad divisionem furti diurni & nocturni quæstio hæc sub-  
jicitur. Num furem deprehensum occidere licet? Controver-  
sia hujus decisionem præbet lex 54. §. 2. ff. de Furt. adhibitâ hac  
distinzione; Si fur diurnus est, impunè interfici non potest ni-  
si se telo defendat ex L. 12. tabularum, Si vero nocturnus, & pater  
familias sine periculo vitæ suæ eum proclamando avertere, eiq;  
aliter parcere non potuit, cum impunè occidi potest, c. 3. Extr.  
de Homicid. l. 4. & 5. ff. ad l. Aquil. Item si fur equum auferens, ei-  
que incidens celeriter aufugiat, neq; Dominus insequens illum  
apprehendere valens, an sagittâ vel globo illum transfigere &  
occidere possit? quod omnino negamus. Impium enim plane  
bona temporalia, licet in oculis & opinione hominum pretiosa  
sint, reverâ tamen fragilia & caduca, hominis ad imaginem Dei  
creati occidente atque sanguine velle redimere Covarruv. in clem.  
part. 3. n. 6. Extr. de Homicid.

### V II.

Sic hic non prætereunda est quæstio admodum utilis, & in  
Academiis non admodum infrequens. Num tabellarius cui pe-  
cunia ad alium deferenda committitur si eam retinens in suos  
usus convertat aut intercipiat, furti teneatur? quod affirmandum  
putamus §. 1. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. 1. ff. de Furt. ho-  
die jure Saxonico, si quantitas commissi furti 20. florenorum usi-  
tatorum summam excedat laquei; Sin minor, fustigationis &  
perpe-

792

perpetuae relegationis; Si perexigua, carceris vel temporalis  
relegationis poena imponitur: jure communi ex eo decisio qua-  
stionis dependet, an dominium pecuniae in tabularium transla-  
tum sit nec ne, de quo *Vide Moller. 4. Semestr. 2.*

**VIII.**

Jam videndum quæ requirantur, ut furtum commissum dica-  
tur, quamvis ex tradita definitione colligi possent, altius tamen  
in illa inquirere non abs re erit; Primo igitur desideratur contrec-  
statio, sine contrectatione n. furtum non committitur l. 52. §. 19. ff.  
*de Furt. l. 3. §. 18. ff. de Acquir. vel amittend. poss. nec sola cogitatio fur-  
tum faciendi furem facit l. 1. §. 1. ff. de Furt.* Deinde ad contrectatio-  
nem requiritur ut fraudandi animus accedat, hic enim efficit  
ut quis furti teneatur §. 7. *Instit. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. 37. in  
pr. ff. de Illicap.* inde consequens est furtum factum non videri  
nisi dolus interveniat. Sed quid dicendum qui opem & consi-  
lium præsttit? quæstione distinguimus, aut nudum consilium  
dedit nec secuta est contrectatio & non tenetur l. 36. l. 62. ff.  
*de Furt.* aut consilium dedit & secuta est contrectatio l. 52. §. 19.  
ff. *de Furt.*, aut opem & consilium simul præsttit & tenetur si-  
militudine supplicii l. 34. l. 52. ff. eod. *Wesembec. in Paratit. ff. de  
Furt.*

**IX.**

Non tamen omnes qui dolo detrectant statim famosa fur-  
ti actione tenentur, nam paterfilio §. 12. *Instit. de Obligat. quæ ex  
del. l. 16. ff. de Furt. l. 11. ff. de Dolo,* item filius patri, Servus Domi-  
no l. 17. ff. *de Furt.* uxor marito l. 1. & 2. & tot. tit. ff. rer. amot. l.  
fin. §. 4. C. *de Furt. l. 5. ff. Expil. hered. l. 36. §. 1. ff. de Furt.* patro-  
nus liberto l. 98. l. 91. ff. *de Furt.* furtum quidem faciunt, non ta-  
men furti actio contra ipsos datur quorum sententiam confir-  
mat *Constit. Crim. Artic. 165.* De Vasallo vero, rusticis; homini-  
busque propriis nostri temporis quid statuendum? his famo-  
sam actionem competere cum DD. negamus, *argum. l. 2. & l. 3.  
§. 1. ff. de Obseq. parent. & patron. præstand. l. 12. §. 1. ff. de Dolo.*

**X.**

**Præterea requiritur ut Res adsit, sine re enim furtum non  
com-**

committi explorati juris est, ideoque licet minima sit, furti actio competit §. 16. *Instit. de R. D.* l. 37. ff. *de Furt.* Furtum enim non ex rei subtractae quantitate, sed ex animo surripientis estimatur l. 37. ff. *de Usucap.* licet in Camerâ propter rem minimam actio furti institui non possit & ideo, cum ad duos nummos furti ageretur aliquando actionem summa cum indignatione rejectam fuisse, testatur *Schneidvvin* non tamen recte infertur in subalternis curiis lites pauperum non esse audiendas, quibus unus nummus pretiosior est quam divitibus centum, & justitiae forum non tantum Crœso, sed & Iropatet.

XI.

Quæritur hic, num is, qui impulsus extremâ necessitate diræ famis aut nuditatis, quæ ipse aut conjunx aut liberi ejus premuntur cibaria, obsonia, aut vestes surripuerit, ordinaria furti pœna excusat? quantum ad furtum ipsum distinguendum non putamus, hunc furem tamen mitius aut fustigatione aut aliâ pœnâ tractandum jura concedunt, Sanguinem enim suum quis qualiter qualiter redimere potest l. 1. ff. *de Bon. eor. qui ante sentent,* & tempore necessitatis omnia sunt communia l. 2. §. 2. ff. *ad L. Rhod. de factu.* Extremam autem necessitatem DD. interpretantur, quando imminet vitæ periculum cui aliter quam per hand eduliorum subtractionem subveniri nequit, quod si tamen ad pigiorem fortunam redierit, estimationem præstare debere communiter receptum est.

XII.

Porro requiritur ut res sit aliena, §. 6. *Instit. de Oblig.* quæ ex del. rei enim propriæ furtum non sit, nisi quoad usum vel possessionem, ut si quis rem suam creditori oppignoratam auferat §. 10. *Instit. d. tit. l. 19. §. 5. l. 6. ff. de Furt.* Ut autem rei alienæ furtum fieri dicatur requiritur eam esse mobilem & corporalem, immobilia siquidem auferri aut occultari ad defraudandum Dominum non possunt, licet Veteres, quorum sententia abolita, aliter existimarint l. 25. ff. *de Furt.* incorporalia etenim nec tangi nec contrectari possunt, nec interest sit res animata vel animâ careat, harum enim furtum fieri extra dubitationis aleam positum est l. 40. l. 37 ff. *de Furt.* quin etiam hominis furtum sit illi, in cuius

793

jus potestate est veluti Servi l. 48. §. ancilla l. 32. §. 28. ff. de Furt.  
itemque liberi hominis puta filiifamilias §. interd. Inst. de Oblig.  
ex del. quod furtum improbissimum est & speciali nomine Pla-  
gium dicitur: hoc num propriè committatur multi dubitant?  
affirmativam veriorem putamus Wesemb. in π Furt. n. 10.

### XIII.

Eacum rerum quæ nullius sunt furtum fieri nequit, furtum  
siquidem non sit, nisi cui fiat l. 43. §. 5. ff. de Furt. ut puta ferarum  
animantium l. 26. ff. de Furt. item pro de relicto habitarum §. 47.  
Inst. de R. D. l. 43. §. 5. ff. d. t. Nec inconvenienter hoc loco à DD.  
quæstio ventilatur, utrum inventor rerum fortuito amissarum  
furti teneatur? Eum teneri, si lucrandi animo eas teneat ac celet  
probabilis videtur sive sciat cuius sint sive ignoret d.l. 43. §. 4. ff.  
d. t. idem dicendum de iis rebus quæ fracto naufragio dispersæ  
jacent, vel ex nave ejus lavendæ & periculi effugiendi gratia e-  
jectæ sunt hoc animo ut si salvæ fuerint recipientur l. 43. §. 11. ff.  
de Furt. l. 43. §. 9. ff. h.t.

### XIV.

Ex jam dictis cuilibet constare potest, infantes furiosos &  
impuberis qui dolii in capaces sunt furti non obligari, quod se-  
cūs indoli capacibus. Ideoque & impuberis si modo puber-  
tati sint proximi, & intelligent se delinquere furtum committe-  
re jus nostrum docet l. 23. in pr. ff. de Furt. §. 15 inst. de Oblig. quæ  
ex del. nasc. ob ætatem tamen illis poenam mitigari posse commu-  
niter receptum est, l. 23. §. 2. ff. de Ædilit. Edict. l. 13. §. fin. ff. de Dolo.  
Nec alienæ à proposito nostro sunt sequentes quæstiones, anno  
Dominus rei furtivæ emtori premium restituere cogatur? item  
an consuetudo illa probabilis sit, quâ res apud furem deprehen-  
sa pro parte magistratui loci acquitur? utrumque negamus adeo  
ut magistratus hoc in casu nullo præscriptionis jure se tueri pos-  
sit quia vindicatur à quolibet possessore §. fin Inst. de Oblig. ex del.  
l. 1. ff. de Priv. del. l. sequitur §. quod autem ff. de Usucap. §. furtivæ Inst.  
de Usucap. l. si quid 4. ff. pro soluto.

### XV.

Viso itaque breviter, quid furtum, in quibus rebus com-  
mittatur, quæve requirantur ut furtum commissum dicatur re-

B

stat.

stat ut videamus de actionibus furti nomine competentibus. Et cum odium furum semper fuit maximum, ideo, ut pluribus illi actionibus tenerentur, introductum, ut praeter pœnales actiones alii cœlibus & rei persecutoriis conveniri possint §. 14. vers. plane Inst. de Action. §. fin. Inst. de Obligat. quæ ex del. nasc. Scilicet actione ad Exhibendum & rei vindicatione, quæ dantur soli Domino hæredibus ejus easq; stringere possunt non modo contra ipsum furem, sed & quemvis etiam bona fidei possessorem rei furtivæ etiamsi Magistratus fuerit cui ea res tradita est §. fin. Inst. de Obligat. quæ ex del. nasc.

XVI.

Item Condicione furtivâ quâ Dominus rei ablatæ à fure vel hæredibus ejus rem suam condicendo sibi reddi petit §. fin. Inst. de Oblig. quæ ex del. nasc. l. 7. §. fin. ff. de Condit. furtiv. hæc duplex est, Certi & incerti, illa datur soli Domino cui furtum factum est l. r. ff. de Condit. furt. hæc soli possessori veluti creditor i cui pignus ablatum est l. 12. §. ult. ff. de Furt. l. si pignore 22. ff. de Pignorat. tit. action.. Itemque commodatario l. ult. §. sed cum in C. de Furt.. Cui id, quod ratione rei furto sublatæ accipit, totum cedit utpote cum omnis utilitas ex re furtiva, vel occasione ejus promanans concessa videatur l. ult. C. de Furt. l. 25. ff. de Furt. de hac pluribus agere supervacaneum judicamus cum de illa in priori disputatione aliquid actum.

XVII.

Quâ pœnam persequimur, actio furti dicitur l. 54. §. 3. ff. de Furt. & cum, ut antea dictum, furtum sit manifestum & nec manifestum, ita etiam intuitu quadruplici, quæ pœna Jure Justianeo manifesto furto imposita vel dupli, quæ nec manifesto, veri rei ablatæ pretii ratio habetur, & actio furti pœnalis datur, non tantum Domino, sed cuivis cui inter est rem eam sibi subreptâ nom esse l. 10 l. 11. ff. de Furt. Interesse autem ejus intelligitur, qui damnum inde passus fuit l. 7. §. 1. ff. de furt. Quamvis vero actio furti tam manifesti quam nec manifesti perpetua sit §. furti quoq; Inst. de perpet. & tempor. act. Contra furis hæredes tamen non extenditur, cum certissima sit juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non dari §. non autem omnes Inst. de Oblig. ex del. l. 38. ff. de R. J. Et



XIX.

794

Et hæc quæ dicta sunt exaudienda de Pœnâ furibus à Jure ci-  
vili dictata, quo pœna furti est extraordinaria l. ult. ff. de Furt. hæc  
postmodum ex Constitutione Frider. I. facta est ordinaria, & illi  
qui quinque vel plures solidos furati sunt, tanquam Reipubl.  
turbatores laqueo suspendi, qui vero minus, scopis & forcipe  
castigari mandantur, quam pœnam petuit Imperator Fridericus à  
Saxonibus Landrecht libr. 2. artic. 13. ubi dicitur den. Dieb. sol. man  
hendens, & hæc deinceps apud omnes fere Christiani orbis natio-  
nes approbata est, donec illam recentiori sanctione confirmavit  
Carolus V. in Constit. crim. artic. 157. 158. 159. 160. 161. 162. quod tamen  
de furtis simplicibus non est intelligendum, sed de publicam pa-  
cem simul violentibus, aut furtis reiterantibus, aut cum effractu-  
râ perpetrantibus. Sed merito hic queritur, an pœna suspendii in-  
iniqua dicenda? hanc vero iniquam esse affirmare non placet,  
cum non adeò ab eo jus divinum abhorreat, qui pro diversitate  
circumstantiarum in ipsa Hebreorum Republica secundum Poli-  
tiā Mosaicā fur capitaliter puniri potuerit & propter frequen-  
tiam hujus delicti gravis necessaria visus fuit pœna, & licet respe-  
ctu sexus circa suspendii pœnam distinguatur, ita ut masculis  
suspendio, fœmina culeo insuta aquis suffocari jubeatur. Consti-  
tut. crim. artic. 159. ex hodierno tamen more æque fœminæ ac  
mares suspendio plectuntur, cum quo concordat ius Saxon.  
Landrecht. libr. 2. artic. 13.

XIX.

Ut itaque aspera suspendii pœna furem teneat, reiteratio-  
nem accedere fas est, pœnam enim illam in furtis reiteratis sæ-  
pius confirmavit Carol. V. cum pro uno simplici furto licet ma-  
gno dicta pœna non sit imponenda, proinde ita demum furtum  
suspendio vindicari solet, si delictum hoc ad minimum ter reite-  
ratum fuerit. Sed ut tria dicantur furti, debent illa esse tempore  
distincta, nam qui tria admisit furti, latroni æquiparatur, & ex  
reiteratione hujus delicti colligitur furem futandi habitum ac-  
quisivisse, nullamque spem emendationis superesse: sed quid si  
tria furti, in diversis territoriis facta sint, num ab hac pœna fu-  
rem revelabunt? negantium opinio verior est.

B 2

Tracta-



**XX.**

Tractationem hujus primi delicti, concludant subsequentes  
huc pertinentes quæstiones I. num fur rupto laqueo incolu-  
mis in terram decidens denuo secundâ vice sit suspendendus  
vel absolvendus? nos prius affirmamus: sententia enim dñs et  
mit dem Strange vom Leben zum Tode hin gerichtet werden sol/  
Suum debet sortiri effectum l. 10. C. de Pœn. II. Si fur seu reus ad  
suspendendum vel alterius generis ultimum supplicium damna-  
tus, num per puellam aut meretricem ipsum in matrimonium  
petentem jure liberari queat? quod itidem negamus quia non  
facile pœnam remitti reipublicæ interest ne quisquam temere ad  
maleficia prosiliat, l. 14. C. de Pœn. III. Utrum furtum adhuc  
sit delictum privatum, an verò ex Constitut. Carol. V. effectum  
sit publ. cum quod pœna ejus capitalis constituta sit? Verius ar-  
bitramur id adhuc hodie esse privatum, certa enim pœna eaque  
capitalis non publicum facit judicium sed requiritur imprimis  
ut id certis quibusdam legibus publicorum judiciorum sit con-  
stitutum l. 1. ff. de Publ. judic. IV. Utrum cadaver suspensi recte  
in Anatomiam medicis concedatur? Affirmamus.

**XXI.**

Absoluta prima Privatorum delictorum specie, ordinis rati-  
tione secundum amplectimur, quæ est Rapina ex qua vi bonorum  
raptorum nomine agitur, & est rei alienæ contrectatio faudulo-  
sa & violenta l. 2. §. 16. ff. vi honor. raptor. pr. Instit. de vi honor. rapt.  
nam qui res alienas rapit & ipse fur est, imò improbus fur ideo  
que actione furti tenetur, in hoc tamen differt à furto, quod hoc  
clam fiat & plerumque noctu, illudvi & palam committatur, &  
ideo delictum atrocius est, quod in L. Jul. de vi incurrit l. 2. §. 1. ff.  
vi honor. raptor. ex quo vel solo manifestum evadit, raptorem non  
mitius puniri quam furem, cum nemo magis invito Domino rem  
alienam contrectet quam qui per vim rapit, sed num raptor so-  
lum actione nec manifesti teneatur, hic queritur? quod etiam  
manifesti teneatur affirmamus argument. l. 80. §. cum raptor. ff.  
de Furt. in qua fur manifestus raptor appellatur, sequitur Ergo  
quod & pœna manifesti teneatur: Arum. diss. 17. th. 10.

**Actio**

## XXII.

795.

Actio vi bonorum raptorum varie competit, 1. Si cui dolo  
malo hominibus coactis damni quid factum esse dicitur pr. l. 2.  
ff. vi honor. raptor. 2. Si quid hominibus coactis dolo sed sine vi  
sit admissum l. 2. §. 9. ff. d. tit. 3. Si alicujus bona vi rapta sunt,  
etiamsi una res licet minima ex bonis rapta sit l. 2. pr. & §. 11. ff.  
d. tit. 4. Durat actio quamvis ante furti actum est, l. 1. ff. b. t. si  
modo amplius ea consequi possit. 5. Si quis per vim abductum  
pecus inclusit l. 2. §. 2. ff. b. t. 6. Si commodata res, locata, pigno-  
rata deposita à me aut bona fide possessa, aut in qua usumfru-  
ctum habeam, aut aliud jus cuius nomine mea interest, non ra-  
pi, raptum sit l. 2. §. 22. b. t. & pluribus modis qui in dicto lib. 2.  
comprehenduntur.

## XXIII.

Actio Ergo vi bonorum raptorum non datur nisi adversus  
cum qui animo doloso rem rapuit, si tamen aliquis rem etiam  
suam, vel quam suam esse putat rapuerit, perdit rei suæ domi-  
nium, rem autem alienam quam pro suâ rapuit restituit cum  
æstimatione quod tamen ad eos qui juris ignorantia excusantur  
transferri non oportet l. 1. §. fin. ff. Edend. Ad formam hujus actio-  
nis referri alias solent indicia, nempe si is de quo constat quod  
bona rapta detinuerit, possederit aliisve vendiderit aut tradide-  
rit aliave quavis ratione mala fide tractaverit Constit. crim. artit.  
38. 2. Si autorem suum laudare non velit, cum ignorantiam, bo-  
na rapta esse amplius prætexere non possit neque probarit quod  
ea bono titulo bonaque fide ad se acquisierit. 3. Equites & pedi-  
tes, qui de stipendiis, negotiationibus, annuisve censibus ex qui-  
bus honeste vitam colerent docere non possunt quæ indicia plu-  
ribus invenire licet in Constit. Crim. Carol. V. art. 39.

## XXIV.

Tertiam Privatorum delictorum aggredimur speciem quæ  
est *damnum injuria datum*, cuius actio constituitur per Legem Aqui-  
liam pr. Inst. de Leg. Aquil. appellatur hæc actio varie, modo Le-  
gis Aquiliæ actio modo Actio Aquilia, modo damni injuriæ,  
modo aliter. Injuriam & nos hic accipere oportet, non quemad-  
modum

B 3

modum

modum circa injuriarum actionem contumeliam quandam l. 5.  
§. 1. ff. de L. Aquil. Sed quotiescumque quod fit, non jure fit, sive  
quotiescumque culpâ damnum datur l. 2. §. 1. ff. b. t. cum injuria  
occidere intelligatur qui nullo jure occidit. Lex hæc à Tribuno  
plebis Aquilio data est l. 1. ff. b. t. Hic quæstio exoritur, an recte hic  
titulus de L. Aquil. inscribatur, ratio dubitandi est, quod sit roga-  
ta à Tribuno plebis Aquilio atque ita non ut Lex sed ut Ple-  
biscitum, verum nihilominus inscriptionem recte fuisse conce-  
ptam asserimus considerato effectu, cum Plebiscitum non mi-  
nus, quam Lex aut alia quævis juris species obliget §. Plebiscitum  
Instit. de I. N. J. & Civil.

#### XXV.

Legis Aquiliae tria fuerunt capita, primum & tertium in usu  
sunt secundum ab Aula recessit l. 27. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. Quid  
secundo Legis Aquilia capite cautum fuerit quidam inquirunt.  
Primum spectat ad quadrupedem, quod pecudum numero est,  
vel hominem alienum occisum. Verba hujus Legis sunt hac: *qui*  
*servum servamve alienum alienamve quadrupedem vel pecudem injuria*  
*occiderit, quanti in anno plurimi fuit, tantum æs dare domino da-*  
*mnas esto*, inde apparet quod servi inter pecudes numerentur l. 2.  
§. 2. quia in pœnis modus iste sufficere visus est, quo damnum  
resarciretur Domino, qui de eo civiliter agere vellet. Verum  
num etiam de homine libero utiliter ex hoc capite agi possit  
quæstionis est affirmantium calculo adstipulamus l. 7. in pr. l. 23.  
ff. ad L. Aquil. IV esemb. in pr. ff. b. t.

#### XXVI.

Tertium Legis Aquiliae caput continetur his verbis, *Cate-*  
*reuum rerum preter hominem & pecudem occisos, si quis alteri damnum*  
*quod faxit, usserit, fregerit ruperit, injuria: quanti ea res erit in diebus*  
*30. proximis, tantum æs dare Domino damnas esto* l. 27. §. 5. b. t. Ex  
hoc Legis capite de omnibus animalibus Cœsis & occisis, quæ  
pecudes non sunt agendum est, utpote de cane a pro leone, ca-  
xerisve feris & avibus l. 2. §. 2. l. 29. §. 6. b. t. Si quis igitur non  
occiderit hominem vel pecudem sed usserit fregerit &c. i.e. quo-  
que modo deteriore fecerit ex his verbis legis agendum erit.

Sic

796.

### XXVII.

Sic autem demum hac actione quis tenetur, si injuria hominem occiderit, itaque qui latronem insidiatorem occiderit, cum aliter periculum effugere non posset ex hac lege non tenetur §. *injuria* 2. *Instit. de Lege Aquilia* proinde si quis se aliter tueri non potest, licet vim illata vi propulsare, non solum jure civili & naturali, sed etiam divino Harpr. in tr. trim. ad §. 5. *Instit. de Publ. judic.* adeo ut nemo adversarium suum seu invasorem fugere l. 3. ff. de *Iustit. & Jur.* l. 3. C. ad L. *Corn. de Sicar.* nec primum ejus iustum expectare l. 5. in pr. ff. ad L. *Aquil.* quin non solum semet ipsum, sed alios etiam quocunque in periculo constitutos unusquisque defendere tenetur *Exod.* 2. v. 12. etiam cum internecione adversarii si modo aliter invasum defendere non possit *Obrechts de necessar. defens.* cap. 7. n. 26.

### XXIX.

Quæritur hoc loco, an si plures servum meum percusserint omnes quasi occiderint teneantur? adfirmantibus ad stipulamur, si cuius iustum perierit, non appareat l. 11. §. 2. ff. ad L. *Aquil.* l. 5. pr. ff. eod. *Menochi. libr.* 2. *arbitrar. quest.* 2. *Casu* 363. Porro hic quæritur: quæ culpa requiratur, ut de incendio *Lege Aquilia* quis conveniri possit? levem multi exigunt, levissimam saltem aliquando sufficere putamus l. 44. ff. ad L. *Aquil.* l. si servus servum §. *fornicarius* ff. eod. l. *insulam* §. fin. l. si quis domum §. si colonus ff. loc. l. 6. & 9. C. *de Pignora tit act.* an vero juris præsumtione actoris intentio hoc in casu satis videatur fundata, ut etiam sine certæ personæ denominatione sententia ferri possit? quod negamus cum *Hacelm. quest. illustr. disp.* 23. t. 22. An quoque ædificium incendi arcendi causa demolitum communibus vicinorum sumtibus restaurari debeat auctor est quæstio? Affirmantium castra sequimur, vid. *Hacelm. dicto loco.*

### XXIX.

Tandem occisum accipere debemus sive gladio sive etiam fuste vel telo sive manibus vel calce petitus l. qua *actione* 7. ff. ad L. *Aquil.* vel plagis affectus l. 52. ff. eod. vel Saxonibus allitus l. 7. §. 7. ff. d. t. vel qualiter qualiter occisus sit d. *lege* 7. tracta videlicet interpre-

terpretatione vocis à Cœdendo & à Cœde l. 51. pr. ff. ad L. Aquil.  
& hæc breviter de tertia Privatorum delictorum Specie.

XXX.

Ultimo loco restat dicendum de quarta delictorum Privatorum Specie quæ est *Injuria*. Etymologiam si attendamus, Injuria dicta est ex eo, quod non jure fit, idcirco variè id vocabulum accipitur in L. Aquil. pro damno ut dictum dato culpâ seu dolo l. 5. §. 1. ff. ad. L. A. quil. in judiciis pro Injustitia, ut si quis prætentat sententiam per injuriam esse datam l. 1. ff. de Appell. Hoc autem loco injuria accipitur pro contumelia quæ à contemnendo dicta est, vel quod contemtim fiat, vel quod contemtum & decus ei qui injuriam patitur accersat, sive pro eo quod ad alterius fit infamiam. l. 15. §. 2. ff. de Injur. Wesemb. π. ff. b. t.

XXXI.

Est Ergo Injuria delictum, dolo malo in alterius contumeliam admissum, quo sit cum studiosè quis agit, ut fama & existimatio alterius lædatur, eiique dolor aliquis creetur; Injuria est vel realis vel verbalis: Realis quæ re fit, quotiens ipso facto alicui manus inferuntur l. 1. §. 1. ff. de Injuriis. Verbalis, quoties non manus inferuntur, sed convitium fit, & linguae petulantia alterius existimatio contumeliosè læditur. Hæc duæ species variis competunt modis, qui in ipso titulo de Injuriis sunt comprehensi, & latè enarrantur à Meiero in Collegio Pandectar. h. t. Exerit se hoc loco difficilis controversia, inter DD. varie agitata, An Ebrius, iracundus, furiosus injuriarum conveniri possit? quod negamus; Quia si quilibet etiam fatua causa excusat à dolo, maximè Ebrietas quæ mentis inducit exilium, & crapula de vita. & honestat. Clericor. l. omne delictum §. 7. ff. de re milit. tenentur tamen pœna extraordinaria ob culpam l. 3. §. 1. h. t. l. un. C. si quis Imper. maledix.

XXXII.

Convitium dicitur quasi convocium, cum plures voces in unum congeruntur, & varietate suâ dirigitur vel adversus Deum, vel adversus homines. Ad convitia quæ Deum attingunt, referre licet hæresin, quando error & pertinacia inarticulis fidei con-

797

concurrunt, cuius extraordinaria coercitio est, itemque de iis existimandum, qui ore Sacrilego majestatem divinam proterve laedunt, qui etiam extra ordinem puniuntur. Convitum in homines est cum aliquid dicitur, scribitur in contumeliam alterius, quod infamia apud bonos eum gravat & reddit contemptibilem l. 15. s. generaliter ff. h. t.

### XXXIII.

Quæritur Ergo hoc loco, si quis verum alicui crimen objecterit, utrum convenire possit injuriarum actione? & distinguendum putamus utrum Reipubl. intersit crimen illud detegi, ut illo casu injuriarum actio cesseret, hoc vero competit l. 2. in pr. C. quand. & quibus quarta pars l. 18. ff. de Injur. Gail. libr. 2. Observ. 99. Fachin. libr. 9. Controvers. 99. Bronchorst. Centur. 4. Assert. 77. Num vero si quis praemissa protestatione verbis injuriosis aliquem lacerceret veluti si dixerit salvo honore tuo tu mentiris adhuc injuriarum actio competit? Affirmativa secundum DD. verior est, l. 54. ff. de Appellat. Gail. 2. observ. 101. Wesemb. π. ff. h. t. n. 7. & 8. Qui vero libellum famosum affixit, mox penitentia ductus eum refigat, num ordinariæ penæ subjaceat questionis est? non sub jacere veritati consonum putamus l. 19. ff. ad L. Cornel. de Fals. l. 1. C. de Crim. Itellionatus: alia sane ratio est ejus qui non penitentia ductus sed alia ratione impulsus maleficio proposito abstinet l. 1. in fin. ff. ad L. Pomp. de Parricid. l. 3. ad L. Cornel. de Sicar.

### XXXIV.

Præterea injuria alicui fit aut per semetipsum aut per alias personas, per semetipsum cum directo ipsi patrifamilias vel matrifamilias injuria fit l. 1. s. 3. ff. h. t. per alias cum per consequencias fit, utpote cum fit liberis meis, sive maritum sive uxorem habent u. l. 1. Spectat enim ad nos injuria qualis sit, quæ vel protestati nostræ vel affectui subjectæ sunt vel per unum vel plures: si plures infamaverint singuli tenentur l. 34. ff. h. t. Sed utrum injuria, quam pater per filium passus est, actionem Prætoriam pater remittere possit invito filio quæritur? Affirmativa verior est, si modo filii persona non honestior vel augustinior sit persona patris l. 17. s. filiosam. ff. h. t. Fachin. libr. 9. Contr. 42.

C

Inuria

XXXV.

Injuria pœnas habet varias ex L. 12. tabular. §. 7. Instit. de Injur. item ex L. Cornelia de Injuriis, quæ tribus casibus actionem dabant criminalem publicam l. 5. in pr. & §. 6. ff. de Injur. ex moribus & Edicto Prætoris l. 15. §. 2. ff. d. tit. Hodie tamen injuriarum pœna à Judice constituitur secundum gradus dignitatis vitæque honestatem: pro diversa intentione actoris quandoque civilis ut pœna applicetur parti §. in summa Instit. de Injur. aut criminalis ut fisco. l. 40. l. 13. ff. h.t.

XXXVI.

Occasione præcedentis theseos quæstio hic subjicitur, utram pro delicti atrocitate & circumstantiis ad mortem naturalem extendi possit pœna injuriarum? Affirmantium castra sequimur argum. l. 28. §. solent. 3. D. de Pœn. arg. c. cum non ab homine de judit. arg. Deut. 16. v. 12. 1. Reg. 14. c. 2. X. de Major. & obedient. arg. l. 3. de Off. præsid. conf. Coſt. Elect. 48. l. sunt quædam 9. ff. de Extraordinar. crim. l. 7. ff. ad L. Jul. repetendar. Bronchorſt. 2. controv. 66. quin & tum, cum pœnam pecuniariam reus solvere non potest in corpore puniri debet l. 35. ff. de Injur. l. 1. §. fin. ff. de Pœn. Est etiam amplius actio ad recantationem ejus quod injuriose dictum est, unde controversum inter DD. unde actio ad Palmodiam referri debeat? & magis illam civilem esse putamus.

XXXVII.

Utraque actione condemnatus vel civili vel criminali, notatur infamia §. pœn. Instit. de Pœn. temer. litigant. quod tamen de gravi injuria accipiendum & ad levem minime extendendum. cum DD. asserimus. Et in genere dantur hæ actiones, non tantum injuria passis, sed iis, in quorum illi sunt potestate l. 1. §. 3. & seq. l. 18. §. 2. ff. h. t. Hinc si injuriarum conventus per procuratorem egerit infamiam an evitet quærendum? & infamiam rei omnino cessare communi doctorum suffragio receptum §. in summa 7. Instit. h. t. l. fin. C. eod. Mynsing. libr. 7. observ. II. n. 13. sup.

XXXIX.

Extinguuntur prædictæ injuriarum actiones Morte, nee heredi aut in heredes dantur nisi lite cum defuncto contestata.

b. 136.

798.

*l. 13. pr. l. 15. §. 14. ff. de Injur. non tantum nudo pacto sed et  
jam dissimulatione, si cum adversario fuerit locutus, luserit  
comederit, §. fin. Instit. h. t. l. 11. ff. eod. Lapsu denique temporis,  
ex Edicto quidem, anni continui pr. Inst. de Perpet. & temp. action.  
l. c. C. h. t. quod tamen in famoso libello Camera Imperial. non ob-  
servat teste Mynsing. libr. 5. observ. 7. Ex constitutionibus autem &  
Lege Cornelia 30. annis §. 1. 2. Instit. h. t. Mynsing. libr. 1. observ. 84.*

### XXXIX.

Illud quæ situm est ad quod tempus referri debeat æstimatio  
injuriæ utrum ad tempus illud quo judicatur, an verò illud quo  
facta est injuria? Poster. affirm. *l. injuriarum 21. ff. h. t. Cujac. I.*  
*observ. 37. Harpr. intr. Crim. ad §. atrox injuria 9. Inst. h. t. quæritur*  
& hoc, utrum injuriam mihi illatam armis repellere adeoque  
injuriantem vel vulnerare vel occidere liceat? Negam. *l. 3. ff. de*  
*Instit. & Jur. l. scient. 45. ff. ad L. Aquil. Bronchorst. Centar. 4. assert.*  
82. verbis tamen injuriam illatam propulsare quem posse eam  
que retorquere indubitate juris est *l. 14. 5. si libertus ff. de Bon. libert.*  
*Obrecht de necessar. def. C. 2. si modò defendendi, non ulsciscendi*  
gratia fiat argum. L. ut vim ff. de Justit. & Jur. l. quæ omnia ff. de  
Procurat. l. si in duabus 104. ff. de R. Jur. l. 38. ff. soluto Ma-  
trim. Vaud. libr. 2. Var. quest. 29.

S O L I D E O G L O R I A.

F I N I S.



三五三

# А Г Я О И Г О В О И Н О 2

2. I. MAZEL

卷之三


卷之三

V517




TA → OL





Farbkarte #13



1626 38 789  
44 44 44  
DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**PRIVATIS DELICTIS IN SPECIE,  
EORUMQUE ACTIONIBUS, ET POENIS.**

Quam

S U B F E L I C I

ALMÆ TRIADOS AUSPICIO

Magnifici atq; Nobilissimi fCtorum Collegii in celeberrimâ ad  
albim Academiâ consensu accidente

P RÆ S I D E

Clarissimo atq; Consultissimo Viro

D N. G O T T F R I D O Reutern J. U. D.

Professore publico & Dicasterii Curiæq; Provin-  
cialis ibidem Adfessore, Facultatis Juridicæ pro  
tempore Decano, Præceptore & Promotore


suo Venerando

Publico submittit examini

P E T R U S G O L D B E C C I U S

Brandenburg. March.

In Auditorio fCtorum ad d. 2 Septembris, hora d 7. matut.



WITTEBERGÆ,

Excudebat AUGUSTUS BORECK, Anno 1626.